DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE Utero et Inflammatione ejuſdem.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

LUDOVICUS BROTHERSON,
Ex Inſula Sancti Chriſtopheri.

Hic labor extremus, longarum haec meta viarum. VIRG.

Prid. Id, Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXVI.

LUDOVICUS BROTHERSON

T H O M Æ H A Y,

Chirurgo Edinenſi,

Cum ejus medicinae partis quae medicamentis, tum ejus quae manu medetur, in primis perito, amico ſuo certo, et monitori fideli,

S. P. D.

Haud dubie, Vir optime, miraberis, cur ego, qui ex ephebis nuper tantum exceſſerim, cujuſque ingenium ad quaelibet etiam in re literaria auſa parum adhuc ſufficiat, opuſculum hujusmodi, non in primis facile, componendum ſuſceperim, turbamque auctorum, jam nimiam, augere decreverim. Si vero, leges academiae Edinenſis celeberrimae, neminem, doctum indoctumve, qui non aliquod progreſſus ſui in medicina ſpecimen in vulgus ediderit, honores ſummos medicos conſequi permittere tecum reputaveris; me hanc diſſertatiunculam, nulla cupiditate ſcribendi vehementiore inflammatum, ſed dira et inevitabili neceſſitate coactum, exaraſſe comperies. Eam igitur, patrocinio tuo quidem non ſatis dignam, facilis accipias; et errores, nec paucos, nec leves forſitan, quos ibi non offendere non poteris, candidus indulgenſque remittas. Ab Academia vero nihil venia peto; namque,

Si ſit tantus amor vires cognoſcere noſtras,
Et breviter primum medicinae audire laborem,
Incipiam. VALE.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

Utero et Inflammatione ejuſdem.

CAP. I.

De Uteri Situ, Structura, &c.

UTERUS in parte pelvis ſuperiore, veſicam inter et inteſtinum rectum, oblique ſedet, fundo retrorſum ſurſumque, cervice antrorſum deorſumque, verſis. Latera ejus ampliora recto et veſicae, anguſtiora lateribus pelvis ipſius, proxima.

Formam lagenae parvulae compreſſioris pyrive, niſi adſit graviditas, habet; ab ore interno ad partem fundi ſuperiorem tres digitos aut circiter longus, a parte anteriore ad poſteriorem unum craſſus. Pars ejus interna cava, et amygdalae capax; externa colore albida, et textura ſatis ſolida.

Tunica interna eſt epidermidis vaginae propago, quae omnes uteri partes ſuccingit. Supra hanc ſeſe oſtendit ſubſtantia denſa, craſſa, e nervis, et vaſis quoque lymphaticis et venis, quae liquore in ſe injecto repleta lineolas contortas decurſu ſuo repraeſentant, ut Smellio perſuaſum eſt, conflata. Caeterum Hallerus, cui, utpote qui anatomicorum recentiorum accuratiſſimus forſitan et eruditiſſimus ſit, ſumma fides habenda, ſtructuram hujuſce ſubſtantiae modo ſequente depingit. E tela celluloſa, craſſa, denſa, aliquantulum dura, ſucculenta tamen, conficitur, in qua fibrae muſculares, praeſertim in iis quae pepererunt, apparent, compreſſae, et in modum retis conjunctae, quarum nonnullae a fundo ad os uteri uſque protenduntur, rationibus

longe diverſis in circulos parvulos, praeſertim in fundo, tubas inter Fallopianas, et in cervice non procul ab ore, abeuntes.

Uterus in cavo ſuo pulpoſus, et floccis brevibus inſtructus; in cervice calloſus eſt, et valvulis parvis abundat.

Uterus muſcularis necne ſit, diſputatur; ſed fibrae muſculares, quae haud dubie videndae, excluſio foetus, et uteri ad formam molemque a partu priorem reditus, eum vim muſcularem habere plane demonſtrant.

Uterus in loco ſuo duobus ligamentorum paribus, latis, et rotundis continetur. Quorum priora efficit duplicatio peritonaei, quae, poſtquam totum uterum obduxit, a lateribus ad haec ligamenta formanda extenditur. Per haec vaſa uterina tranſeunt. Duas plicas in parte ſuperiore habent; quarum anterior tubas Fallopianas, poſterior ovaria laxe ſita, comprehendit.

Ligamenta rotunda ſunt parvulus fibrarum muſcularium, nervorum, et vaſorum plexus, membrana communi, quae chordae ligamentive formam habet, ante tubas Fallopianas

deſcendente,

deſcendente, et ex annulis muſculorum abdominalium, quo in adipe inguinis evaneſcat, exeunte incluſus.

In plica ligamentorum latorum anteriore ſunt tubae Fallopianae, duplices, flaccidae, et vermiformes, tres digitos aut circiter longae, ab altera parte extrema fundo uteri affixae, ibique foramen ſetae ſuillae vix capax habentes. Diametro gradatim increſcunt, et tandem ore aperto fimbriis, quae morſus diaboli appellantur, circumdato finiuntur. E duabus membranis conflantur, quarum exterior, cum in duplicatione ligamenti lati includantur, a peritonaeo oritur ; interior rugis plena eſt, ſpeciem fere retis prae ſeſe fert, muco abundat, longius exteriore patet, et fimbrias laciniaſve modo poſitas efficit. Inter duas membranas aliquid intercedit ſpongioſum et celluloſum, at tela vaſis deferentis celluloſa, quantum ad texturam attineat, tenuius. Mucum continent tubae Fallopianae, cujus origo nondum comperta habetur. Vaſa numeroſiſſima ſunt, et nonnullae forſitan fibrae muſ-

culares

culares non deſunt, quamvis adeo obſcurae, ut eas clare demonſtrare fruſtra conareris.

Tubae Fallopianae, ut vir celebris Dr Young obſervavit, ab ovariis in cadavere diſjungi; caeterum ſi, contra, animal ſubito extinctum inciſumque fuerit, eadem amplecti conſueverunt.

Ovaria ſunt duo corpora albida, oblonga, teſtium maſculinorum non diſſimilia, ad latera uteri in parte ligamentorum latorum poſteriore ſita. Forma et magnitudo in aliis aliae ſunt; in iis vero quae pueros enixae ſunt, quam in virginibus aetate provectioribus, ampliores. Quae membrana ea obducit, ea pars eſt ligamenti lati, et igitur peritonaei, craſſa, et hic loci propemodum cartilaginoſa. Structura eorum uterinam admodum reddit, denſa, albida, celluloſa, adipis expers. In ovariis etiam virginum, quae nondum multos annos habent, reperiuntur bullae, e membrana pulpoſa, quamvis ſatis firma, confectae, ovariis per fila celluſoſa ubique adjunctae, lymphaque coagulabili repletae. Harum numerus parum certus eſt. Quindecim

cim pluresve nonnunquam in uno ovario in conſpectum dantur, quae non ſemper eandem magnitudinem habent. Hae particulae inſignes ſunt, et in omnigenis fere animalibus ſemet oſtendunt.

Arteriae uterinae ab hypogaſtricis oriuntur; quarum ramus non parvus ad partem uteri inferiorem, ſub finem propemodum cervicis, appropinquat, ſurſumque aſcendens ramos tranſverſos, flexuoſos ad uterum mittit, multas cum arteriis ſpermaticis anaſtomoſes efficiens, arteriaſque tubis Fallopianis non raro ſuppeditans. Quinetiam alter ramulorum arteriarum uteri plexus ad vaginam deſcendit, eamque per magnam ejus decurſus partem concomitatur. Spermaticae, unde uterus quoque arterias accipit, eandem, quam in maribus, originem habent; caeterum per muſculum pſoam in pelvim tranſeunt, et magna ex parte ovariis tubiſque impenduntur.

Venae uteri arterias ex toto referunt, et in venas hypogaſtricas deſinunt. Arteriis tantum non pro rata ratione reſpondent; at mul-

to

to ampliores ſunt, uterumque gerentibus adeo dilatantur, ut ſinus fuerint appellatae. Haec vaſa, ſi pauculas in ſpermaticis excipias, valvulis deſtituuntur.

Vaſa lymphatica in utero humano rarius viſa ſunt; ea tamen revera exiſtere minime dubitandum, cum nonnulli anatomici, haudquaquam infimae notae, ea plane notarint.

Nervi a parte plexus meſocolici ima, et ab iis oſſis ſacri propriis, oriuntur. Alii originem hujuſcemodi habentes per ligamentum latum ad ovaria tranſeunt, alii a nervo illo, qui vaſa comitatur clitoridis, proficiſcuntur. Quinetiam nervi parvuli ovariis proprii ſunt, a plexu renali oriundi.

C A P. II.

De Menſtruis.

Quam uteri deſcriptionem protulimus, ea unicuique aetati communis eſt; caeterum ſub decimum quartum, vel decimum quintum annum

annum in regionibus frigidioribus, et undecimum, duodecimum, vel decimum tertium in calidioribus, eodem fere tempore, quo ſemen in mare formari incipiat, mutatio quaedam, eaque inſignis, in ſexu foemineo incidit. Maſſa tota ſanguinea vi majore incipit moveri, mammae tumeſcunt, pudenda externa pilis operiuntur, et puellae dolorem dorſi, lumborum, capitis, puſtulis cuticularibus ſe oſtendentibus (quod quidem raro evenit, licet ſignis menſium fluxum antecedentibus ab Hallero fuerit annumeratum) et liquore albido ex utero deſtillante, queruntur, et ſanguinem verum a vagina profluentem tandem attonitae vident. Hoc modo ſanguis per aliquot dies, tres forſitan quatuorve, omnibus aliis incommodis interim ſublatis, effluere pergit; oſtiolis vero vaſorum uteri ſeſe gradatim contrahentibus, aliquid tantum ſeroſum ex utero deſtillat, et valetudo, qua puella inſueverit, commoda rurſus redit; quae iterum, prius poſt intervalla parum certa, deinde vero fere conſtanter ſub quamque ſeptimanam quartam extremam, per eadem

mala

mala eundemque ſanguinis fluxum interpellatur. Haec ſigna, ſub finem cujuſque hebdomadae quartae, niſi mulier uterum geſſerit, infantemve lactarit, ad annum aetatis quadrageſimum quintum, vel quinquageſimum aliquando, quo tempore menſes provenire ex toto ceſſant, redire ſolent. Quantitas ſanguinis, ſingulis temporibus, quibus mulieres in menſtruis ſint, effuſa, in aliis foeminis et regionibus alia eſt. Noſtrates plerumque non amplius quam quinque uncias ſingulis temporibus; quae regiones calidiores habitant, copiam majorem amittunt.

Hoc ſanguinis profluvium utero muliebri proprium eſt, et admodum notabile, cum nullum animal, praeter foeminam, menſtruis ſoleat purgari. Nonnulli quidem auctores menſtrua ſimiis provenire contenderunt; at eos hac in re graviter erraſſe opinor. Cum hoc phaenomenon tam ſingulare ſit, non eſt cur mireris auctores multos ingenioſiſſimos cauſam ejus indagare eſſe conatos.

D. Aſtruc ſe ſtructuram uteri certam, quae hoc phaenomenon poſſet explicare, re-

periſſe ſibi perſuaſum habebat. Arterias hypogaſtricas et venas per anaſtomoſin conjungi putabat; caeterum ſanguis e venis, an ex arteriis hypogaſtricis effluat, nondum compertum habemus; et nemo praeterea vaſa, quibus haec innitatur hypotheſis, adhuc offendit. Homius autem celeberrimus ſanguinem ex arteriis haud dubie profluere opinatur.

De hoc argumento quidem multiplices fuerunt conjecturae, multiplices doctrinae. Quas omnes fuſe tradendas ſi ſuſciperemus, diſſertatio noſtra in longitudinem nimiam produceretur. Eas igitur quam pauciſſimis abſolvemus.

Eraſiſtratus, et ejus aemuli, menſes potentiae Lunae retulerunt; at fallaciam hujuſce conjecturae hoc ſolum oſtendit, quod mulieribus quam plurimis, ſingulis menſis diebus, nec paucioribus, ut illuſt. Hallerus affirmat, in apogaeo, quam perigaeo, menſtrua proveniunt.

Alii cauſam eorundem fermento ſtimulanti, nihil etenim ante aliquot annos abſ-

que

que ope chymiae potuit explicari, tribuerunt, quod menſe unoquoque vaſa uterina vi ſua patefacere creditum eſt; at haec opinio non minus quam illa abſurda eſt, et aeque facile convellitur. Nullum etenim hujuſmodi fermentum unquam compertum eſt; nec id quidem in loco, qui ſuccis mucoſis et mitibus abundet, ſperes reperire.

Alii menſes ab appetentia veneris nimia et effraenata deduxerunt, mulieribus indolis ſalacioris menſtrua maturius copioſiuſque profundi, et guttas ſanguineas muco admiſtas e pudendis aliorum animalium, dum ſtimulum oeſtri venerei perſentiunt, deſtillare contendentes: "Vereor omnino, inquit Hallerus, ne ſanguinis ſub tempora libidinis venereae, in animalibus diverſis, exſtillatio, pro menſtrua purgatione habita ſit, et tamen hoc raro occurrit."

Quinetiam menſes in foeminis libidini magis deditis maturius copioſiuſve ſemet oſtendere falſo contenditur; namque nequit ambigi, quin multae ſint, quibus menſtrua non amplius profundantur, rei venereae ae-

que

que ac olim appetentes, ut exemplum nutricum et gravidarum abunde teſtatur. Immo exempla non defuerunt, praeſertim aliquot a Swietenio relata, ubi mulieres, quibus menſtrua temporibus ſtatis copiaque juſta provenerint, coitum adeo non appetiverunt, ut eundem potius refugerint, maritoſque ſemet inire aegerrime paſſae ſint.

His tribus opinionibus repudiatis, ad ultimam et ab omnibus fere hodie receptam, tandem pervenimus, viz. menſes a plethora pendere. Utrum haec plethora topica vel univerſa ſit, a multis acriter certatum. Illuſtris Homius ſub initium, univerſam, poſtea topicam, eſſe putat. Argumenta quidem utrinque adhibita ingenioſiſſima ſunt, at longiora quam quae hic loci poſſunt proferri. Inſuper, cum Profeſſores hujuſce academiae celeberrimae in ſententias omnino diverſas conceſſerint, ſummae arrogantiae foret quamlibet nobis propriam proponere: ‘ Quiſnam enim, cum Doctoribus ipſis inter ſeſe minime conveniat, litem dirimendam ſuſcipiet?’ Si huic argumento, quod in

praeſentia

praeſentia medicorum opprobrium eſſe videatur, lumen ſummum poſſes offundere, ad commodum medicinae forſitan non multum conferret; namque exinde lites quam concluſiones utiles facilius deduceres. Nihil amplius igitur de eo addemus; ſed ad inflammationem uteri exequendam tranſibimus.

C A P. III.

De Cauſa Inflammationis proxima et Natura.

Antequam vero ad inflammationem uteri dicendam venimus, quaedam de proxima inflammationis cauſa tradenda putamus, quae, ut eam Cullenus celeberrimus definit, eſt, ‘ Pyrexia; partis externae rubor; calor, ‘ et tenſio dolens.’

Haec ſigna impetum humorum in parte laborante adauctum eſſe plane demonſtrant; et hinc omnia phaenomena poſſunt deduci.

Alii

Alii *ruborem* aliter explicarunt. Nonnulli a ſanguine rubro vaſa, quae eum, corpore ſano, non recipiunt, et quolibet tempore per ſe aegre tranſire patiuntur, ingreſſo oriri putant. Hujuſmodi eſt error loci, a Boerhaavio aemuliſque ejus toties commemoratus. Huic doctrinae adverſatur Hallerus, et ruborem, globulorum rubrorum in vaſis, quae eos aſſidue contineant, accumulationem eſſe affirmat. Quantum vero ad naturae inflammationis explicationem attinet, parum refert, utrum rubor ſit error loci, vel globulorum rubrorum in vaſis eis propriis accumulatio; cum et haec et ille ab eadem cauſa, viz. impetu ſanguinis adaucto, proxima inflammationis cauſa, proficiſcantur.

Quantum *calorem* ſpectat, undecunque calor animalis oriatur, motum humorum auctum calorem auctum dare compertum habetur.

Praeterea, impetus adauctus vel vaſa quae, valetudine commoda ſubſtante, humores craſſiores non admittant, diſtendendo, vel vaſa, quae nunquam non ſanguinem vehant, mole humorum

humorum inſolita dilatando, *tenſionem* facit, haecque *dolorem* movet.

Hinc igitur impetum auctum cauſam inflammationis proximam eſſe patet.

In cauſam hujus impetus aucti ut inquiramus proximum eſt. Haec, ut opinamur, eſt aliquis ſtimulus ſyſtemati admotus. Per ſtimulum autem talem poteſtatem ſignificamus, qualis actionem fibrarum muſcularium movere vel augere poteſt. Stimulus duplex eſt, directus et indirectus. Is vero directus eſt, qui parti cuilibet directo admovetur; et quodlibet equidem, quod dolori eſſe poteſt, ſi ſatis diu fuerit admotum, inflammationem ei ſyſtematis parti, cui applicetur, inferre valebit. Cum ſtimuli directi, quatenus compertum habetur, ad inflammationes partium internarum movendas, parum aut nihil omnino conferre videantur; ad non directos, e. g. vaſorum ſanguiferorum obſtructionem, ut cauſam impetus aucti decurſum eſt.

Bellinus et Boerhaavius quidem obſtructionem omnes, quotquot incidunt, inflammationes facere putaverunt. Obſtructionem,

undecunque fuerit orta, accumulationem humorum in vaſis obturatis, majoremque motus ſanguinei celeritatem in vaſis vicinis, quae obſtructione adhuc careant, dare oportere contendunt.

Hallerus hanc doctrinam modo ſequente refellere conatur. Motum ſanguinis in vaſis extremis tardiſſimum eſſe, impetumque tam parvum, ut, ſi quodlibet obſtaculum curſui ejus fuerit oppoſitum, facile inverti et retrogradus fieri, et deinde per ramos vicinos progredi poſſit; et denique vaſa corporis humani adeo flexu facilia eſſe, ut impetui ſanguinis adaucto plerumque facile cedant, et quantitatem tranſmittant ſolita majorem, ponit. Quantitatem humorum praeter conſuetudinem magnam per vaſa tranſire poſſe hinc probare conatur, quod globuli rubri per vaſa ſecernentia minima ſaepe tranſeunt, quodque hoc abſque ulla obſtructione ejuſve ſequela, inflammatione, incidit.

Aliquid fidei vero hiſce experimentis Hallerianis derogandum videtur, cum in animalibus amphibiis, quorum ſanguis humano frigidior,

frigidior, inſtituta ſint, cumque, utrum eundem necne, in animalibus quibus ſint ſanguis calidior circuituſque validior, exitum habuiſſent, nondum compertum ſit.

Velocitatem ſanguinis in vaſis liberis, vicinis obſtructis, augeri Boerhaavius exiſtimavit; haec vero opinio fundamento parum ſtabili inniti videtur. Namque Sauvageſius, qui hanc rem accurate conſideravit, non velocitatem majorem, in vaſis vicinis, a ſimplice obſtructione, ſed motum tardiorem oriri, niſi aliqua alia cauſa praeter obſtructionem, ad impetum ſanguinis augendum, ſimul conferret, compertus eſt. Hanc obſervationem confirmare videtur, quod in machinis hydraulicis vita deſtitutis evenit. Inſuper obſtructio, quam in inflammationibus ſubeſſe ponere queas, cum pleraeque earum partem ſyſtematis parvulam tantum occupent, magnum impetus auctum in vaſis vicinis neutiquam facere valet.

In hanc ſententiam ivit Hallerus; namque obſtructionem, quiete vaſorum vicinorum non turbata, ſaepe adeſſe affirmat.

Quinetiam vaſis amplis, nullo propemodum effectu in ſyſtema univerſum edito, ligaturas injecit. In exemplo quoque aneuriſmatis arteriae ligantur, et inflammatio major non oritur, quam vulnus, nullo vinculo adhibito, in partibus vicinis moveret.

Swietenius quidem experimentum protulit, unde concluſionem prorſus contrariam deducere poſſis. Ligatura aortae deſcendenti injecta eſt, quae mutationem in diſtributione ſanguinis magnam fecit; namque quantitas naturali et juſta major ad partes ſuperiores miſſa eſt, ubi effuſio incidit, quae animal tandem extinxit. Arteria tam ampla vincta effectus, quod quidem non inficiamur, magnos haud dubie ederet; ſed, quantum ad inflammationem attineat, ubi vaſa multo minora ſunt, et abſque ulla noxa ſaepe ligantur, nihil omnino probat, parumque ponderis habet.

Haec argumenta obſtructionem ſolam inflammationem movere non poſſe evincere videntur. Eam igitur pro cauſa tantum,

quate-

quatenus partes ſtimuli agit, habeamus oportet.

Proximum eſt, ut, quomodo obſtructio ſtimulo ſit, quaeramus.

Quod actionem vaſorum aſſidue movet, eſt eorundem diſtenſio; et igitur, hac aucta, iis actio augebitur. Diſtenſionem autem intendere poteſt, vel diſtributionis humorum mutatio, vel nimius ſanguinis ad partem quamlibet fluxus. Haec actionem vaſorum partis augebunt, et auctus actionis vaſa, licet nullus ſanguinis curſus, praeter conſuetudinem, ad ea factus ſit, diſtenſione nimia inſolitaque haud dubie impertietur. Caeterum, cum impetu ſanguinis in vaſis aucto, ejuſque ſequela, diſtenſione ſyſtematis ſanguiferi nimia, affectus extremorum vaſorum ſpaſmodicus conjungi, et ad inflammationem movendam conferre videtur. Hunc autem diſtenſio nimia ſola, vel frigoris applicatio, vaſis antea nimis diſtenſis, ut in exemplo rheumatiſmi videre eſt, dare valet. Strictura vero ſpaſmodica, parti cuilibet illata, obſtructionem veram dabit, quae vaſa haud

dubie

dubie ſtimulabit, impetum ſanguinis adauctum faciet, nimiſque diuturnum reddet, et denique inflammationem longe lateque diffundet. Hinc obſtructionem ſtimulare poſſe evidentiſſime conſtat. Haec eſt obſtructio unica, quam Cullenus celeberrimus, qui ſolus hac inflammationis doctrinâ nos erudiendos curavit, ſubeſſe confitetur.

Ob rationes graves, et hic loci relatu nimis longas, lentorem, quem Boerhaavius, et ejus aemuli, pro unica propemodum inflammationis cauſa habuerint, ut nullo ſolido fundamento innitentem, repudiat.

Quo hanc diſſertatiunculae noſtrae partem ad finem perducamus, e ſupra dictis evidenter patet, ſeriem rerum ſequentem ad inflammationem movendam conferre:

1. Impetum humorum adauctum.

2. Diſtenſionem vaſorum nimiam, quam protinus facit actio, vel impetus adauctus.

3. Stricturam vaſorum ſpaſmodicam vel a ſimplice diſtenſione, vel frigore parti cuilibet, quibuſdam rebus ſubſtantibus, admoto oriundam, quae facit, ut, omnia inflamma-

tionis

tionis ſigna augeantur, nimiſque diu maneant.

Natura inflammationis hoc modo breviter expoſita, proximum eſt, ut inflammationem uteri propriam quam pauciſſimis abſolvamus.

CAP. IV.

De Hyſteritide.

Haec autem a Culleno ita definitur: "Pyrexia; hypogaſtrii calor, tenſio, tumor, et dolor; os uteri tactu dolens; vomitus."

Praeter ſigna omnibus inflammationibus communia, ſequentia hyſteritidis propria ſunt, viz. dolor partis laborantis continuus, urens, pulſans, modo, uti aegrota opinatur, in inguine ſitus, modo in totum abdomen diffuſus. Saepe adſunt totius corporis vel lateris unius tantum durities, ſtranguria, et frequens

frequens deſidendi cupiditas. Si inflammatio partem uteri anteriorem occupet, dolor antrorſum os pubis verſus extenditur, et urinae reddendae difficultas oritur. Si pars poſterior afficiatur, notae ſunt alvus dura, dolorque in regione lumborum.

Si latera, dolores inguinum ſentiuntur; pedes et crura tumeſcunt, et ob pondus ſuum, potiuſve actionem muſculorum impeditam, aegre moventur. Si cervix ſola, os uteri, ſi id tangas, durum tumidumque eſſe reperies. Si uterus totus, ſigna omnia ingraveſcunt; caput admodum dolet, abdomen intumeſcit, et dureſcit, foeces et urina difficillime excernuntur; aegrota nec ambulare, nec ſedere, nec ſtare, abſque ſumma difficultate, valet; ſpiritus parum expeditus eſt, et delirium, convulſiones, extremorum frigus, tandemque mors ipſa, accedunt.

Hyſteritis, ad inſtar aliarum inflammationum loco certo propriarum, quatuor modis, nempe, *reſolutione*, *ſuppuratione*, *gangraena*, et *ſchirro*, de quibus ſeparatim agemus, finiri poteſt

1. Reſo-

1. Reſolutione.

Si renixus, qui in vaſis partis occurrit, ſeu ab obſtructione, ſeu ſpaſmo, ſeu utriſque pendens, impetui adaucto, vaſis partis non deletis, cedat, humores facilitate ſolita progredientur, et, irritatione et diſtenſione ceſſantibus, partes conditionem priorem recuperabunt, et inflammatio reſolutione, uti appellatur, finietur. Caeterum altera eſt reſolutionis ſpecies. In hac halitus quidam, qualis cava corporis humani diverſa madefacit, effunditur, qui, ob tenuitatem, ad pus formandum parum accommodatur; et igitur per vaſcula lymphatica abſorbetur, rurſuſque cum maſſa ſanguinea miſcetur. Haec effuſio autem vaſa relaxat, actionemque eorum nimiam tollit, adeo ut ad conditionem priorem ſanam redeant.

2. Suppuratione.

Si humores effuſi ſpiſſiores ſunt, ad pus formandum magis idonei, et tales, quales abſorberi nequeunt, inflammatio in ſuppurationem

tionem deſinit. Quod effunditur, id e lympha coagulabili ſeroque commiſtis conſtat, quae experimenta Gaberiana ad pus formandum quam maxime accommodari demonſtrant.

3. Gangraena.

Haec partis laborantis mors abſoluta eſt, et a duabus cauſis, actione vaſorum nimia, vel eorundem atonia, oritur. In aetate provectioribus et debilibus, gangraena partium corporis diverſarum a poſteriore ſaepe proficiſcitur; ſed in hyſteritide a priore oriatur neceſſe eſt. Si igitur inflammatio raptim pergat, et motus arteriarum admodum intendatur, gangraena facile finiri poteſt.

4. Schirro.

Hunc pro uno e finibus hyſteritidi propriis, quoniam partes glandulares, eaſque ſaepe abſque inflammatione antecedente, potiſſimum invadit, vix poſſumus habere: Eum igitur ab humoribus in parte laborante effuſis ibidemque ſtagnantibus, (quod atonia vaſorum facit,) pendere diceremus. His igitur inducti,

inducti, ſchirrum inflammationem ſubſequentem potius a ſchirri cauſis ordinariis et ſolitis, quam ab inflammatione ipſa proficiſci ſuſpicamur. Si hoc accurate inveſtigare vellemus, in doctrinam ſchirri admodum obſcuram tenebriſque ſpiſſiſſimis involutam, inquirere neceſſe foret; quod cum temporis anguſtia, tum voluntas vetat.

Alius eſt inflammationis finis, a nullo auctore, praeterquam a Culleno in praelectionibus ſuis, relatus, qui ſaepe in pleuritide et peripneumonia ſe oſtendit. Hic autem eſt effuſio adeo magna, ut functionem partis laborantis omnino perdat, antequam putredinem attingere, et gangraena finiri potuerit. In hyſteritide vero vix incidere poteſt, et ſi incideret, aegrotam, ut in pleuritide et peripneumonia fit, non protinus extingueret.

CAUSA PROXIMA.

Cauſa inflammationis proxima jam poſita, vix ambigi poteſt, quin cauſa hyſteritidis proxima quoque impetus humorum in vaſis uterinis adauctus ſit, cui ſimul adjiciatur affectus ſpaſmodicus.

CAUSÆ REMOTÆ.

Cauſae hujuſce morbi remotae ſunt,

1. Internae, viz.

Menſtrua vel lochia ſuppreſſa parciuſve profuſa, partus laborioſi, ſecundinae retentae vive avulſae, abortus, vomitiones violentae; affectus animi, dum menſes vel lochia proveniunt, concitati; calefactio corporis nimia, quam ſubſecuta eſt nimis magna abdominis refrigeratio; potus poſt motum violentum frigidus,

frigidus, corpore calefacto, ſumptus, praeſertim dum lochia, menſes, vel haemorrhois adſunt; et denique, colica convulſiva, graviorque affectus hyſtericus.

2. Externae.

Injuriae inter pariendum mulieri illatae, abdomen vulneratum vel contuſum, immerſio in frigidiſſimam ſubita; per loca uliginoſa vel ſuper pavimenta frigida, pedibus nudis, incedere, praeſertim dum menſtrua proveniunt.

PROGNOSIS.

Prognoſis triplex eſt.

1. Si inflammatio ſuperficiem internam, corpore reliquo ſano, et evacuationibus criticis, ſive ſudore, ſive qualibet alia excretione, tempore ſuo ſemet oſtendentibus, tantum occupet; et ſi pus laudabile, odoris foetidi expers, et levamen ſignorum ſecum afferens,

ex

ex utero deſtillet, ſalus aegrotae non deſpe-
randa.

2. Ægrota in ſummo periculo verſatur, ſi morbus ultra diem quartum, nulla critica evacuatione per ſudorem aliterve facta, maneat; ſi quod ex utero deſtillat, colore varium et odore ingratum ſit; ſi ſingultus, delirium, convulſiones, et partium corporis extremarum frigoris ſenſus adſint.

3. Si inflammatio in ſchirrum, et hic in cancrum inſanabilem deſinat, vel hydropem ſanatu difficilem faciat; vel ſi pus in cavum abdominis, quod viſcera gradatim conſumit, et tabem inducit, effundatur, finis morbi periculoſiſſimus ſit oportet.

RATIO MEDENDI.

Conſilium curandi hoc in morbo princeps eſt, impetum humorum in vaſis uterinis quam primum imminuere, ſpaſmumque removere.

Huic

Huic autem apprime reſpondent.

1. Evacuantia.
   A. Miſſio ſanguinis.
      a. Univerſa.
      b. Topica.
   B. Purgantia.
   C. Enemata.
   D. Epiſpaſtica.
   E. Emetica.

2. Relaxantia.
   A. Fomenta.
   B. Diluentia.

3. Refrigerantia.
   A. Sales medii.
   B. Acida.

4. Corporis animique quies.

5. Caloris omniumque aliorum ſtimulorum vitatio diligentiſſima.

1. Evacuantia.
   A. Miſſio ſanguinis.

a. Uni-

a. *Univerſa.* Nihil in omnibus morbis inflammationem habentibus aeque prodeſt ac ſanguinis detractio, quae vaſorum tenſionem, et igitur impetum humorum, imminuit. Quantitatem amplam ſimul detrahere, quam evacuationem ſaepius iterare, praeſtat; cum experientia quantitatem amplam brevi emiſſam, quam duplo majorem temporibus diverſis minuſque liberaliter ſingulis detractam, plethorae potentius occurrere teſtetur. Hoc autem faciendum putamus, propterea quod in inflammationibus gravibus ſanguinem ſaepius elici rapidus morbi decurſus vetat; nec ſanguinem quidem ſaepe mittere conveniret, ſi una miſſio idem, quod plures, praeſtaret. Inſuper ex elatere ſimplice, quo arteriae ſint praeditae, relaxationem earundem ex una detractione larga, quam e minoribus reiteratis, magis ſubitam, igiturque majorem fore, manifeſtiſſime conſtat. Evacuatio igitur cum liberalis, tum ſubita eſſe debet; quoniam ex hoc ſpes ſalutis magna ex parte pendet. In ſumma, fiducia noſtra praecipua hocce in remedio collocanda.

b. Topi-

b. *Topica.* Hoc remedium in morbis inflammationem habentibus, et, me judice, non abſque cauſa, ſummis laudibus elatum fuit; quod per id ſanguinem prope partem laborantem emittere poſſumus, unde dolor magnopere levatur, et ſanguinis in parte accumulatio minuitur. Id in pleuritide et peripneumonia modo ſequente Cleghornius quam plurimum laudat. "Nothing affords ſuch "certain and immediate relief as the ſcari"ficator and cupping glaſſes, in ſo much, "that among the many trials I had of them, "I do not remember an inſtance, where they "did not carry off the complaint entirely, "or mitigate it conſiderably." Quinetiam miſſionem ſanguinis topicam Celſus et Huxhamius eodem fere modo ſummis laudibus concelebrarunt. In auxilium hyſteritidis tamen detractio ſanguinis topica non tam prompta, uti opinamur, quam in pleuritidis, eſt; quoniam cucurbitulae tam prope ſedem morbi admoveri nequeunt. Pars proxima et commodiſſima, cui poſſint applicari, abdomen imum, ſupra os pubis, eſſe videtur.

B. *Pur-*

B. *Purgantia.* Foeces induratae, inteſtina ſtimulando, et hunc ſtimulum non tantum in uterum, ſed in ſyſtema univerſum, diffundendo, in hoc vel quolibet alio morbo inflammatorio, magnopere nocent; igitur accumulationi ſtercoris, purgantia lenia dando, quae, quamvis non ſtimulant, alvum tamen ſolutam tenent, medicus diligenter occurrat neceſſe eſt. Horum optima eſſe videntur manna, tamarindi, oleum ricini, &c.

C. *Enemata.* Haec nequaquam neglectui habenda ſunt, cum celerius quam purgantia agant, cumque vicem fomenti ad partem ipſam laborantem admoti praeſtent, et ea, quae colon contineat, ſatis accurate foras eliminent; eoque irritationem, quae a ſtercore illic accumulato oriretur, praecaveant. Haec e quolibet decocto emollienti, velut malvae, chamaemeli, vel ex oleo olivarum, vel ricini, vel ex aqua ſimplice tepida, quae forſitan, quantum efficaciam ſpectat, quodlibet praeparatum exaequat, apte conflabis. Huic, ſi alvus admodum dura ſit,

ut

ut hoc in morbo ſaepe accidit, aliquantulum ſalis communis, vel Glauberiani adjicies.

D. *Epipaſtica.* Haec olim poteſtatem ſtimulantem tantum habere exiſtimabantur; et igitur iis in omnibus morbis inflammatoriis medici abſtinere conſuerunt; caeterum recentiorum experientia hoc a vero longe diſtare oſtendit, et epiſpaſtica virtutibus antiſpaſmodicis praedita eſſe, et igitur in omnem inflammationem non parum poſſe manifeſte demonſtravit. Pringelius, ut ad ea in pleuritide et peripneumonia confugiatur, ſuadet. Si in his morbis proſint, idem in hyſteritide praeſtent opportet. In hoc morbo quidem ea ſatis prope partem laborantem admovere difficile eſt. Quae pars huic propoſito potiſſimum accommodatur, ea eſt abdomen infimum.

E. *Emetica.* Haec ſpaſmum febrilem removent, actionem vaſis ſuperficiei corporeae reſtituunt, et humores ab internis in partes externas evocant; ſed, propter agitationem, quam ſyſtemati actio eorum inferat, hoc in morbo neutiquam adhibenda putamus. Data

tamen iis portiunculis tantum, quae ad diaphoreſin movendam conferant, fortaſſe conveniunt.

2. Relaxantia.

A. *Fomenta* rite adhibita magnopere poſſunt prodeſſe; caeterum ignorantia nutricis ſaepe in cauſa eſt, cur non parum obſint. Si igitur ad ea decurſum fuerit, ſemper caute prius tollantur, quam frigeſcant, et cura ſumma, ut nec induſium aegrotae, nec ſtragula madeſiant, adhibeatur.

B. *Diluentia.* Qualia ſunt aqua hordeata, &c. ſitim ſedando, excernentia aperta ſervando, et nutrimentum praebendo, aliquantum prodeſſe poſſunt.

3. Refrigerantia.

Hujuſcemodi ſunt ſales medii et acida, quae, ob poteſtatem, quam habeant, ſedantem, conveniunt.

A. Primas in refrigerantibus tenent ſales medii, et forſitan conſilio corpus refrigerandi rite adhibiti non male reſpondent; multa tamen

tamen iis, praeſertim nitro, objicienda ſunt: Hoc enim raro aut nunquam officio ſuo, ventriculo non turbato, fungi ſolet; et igitur periculoſum ancepſque medicamentum eſt.

B. Acida fructuſque maturi ſitim, quae in omnibus morbis inflammatoriis ſubeſt, levando proſunt.

5. Corporis animique quies.

Omnis corporis motus, utpote qui ſanguinis per venas reditum acceleret, et igitur contractiones cordis crebriores reddat, in hyſteritide caute vitandus. Affectus animi violentiores, qui idem praeſtant, quoque cavendi. Quinetiam clunes reliquo corpore altius collocandi, quo impetui ad uterum facto quam maxime occurratur.

6. Caloris omniumque aliorum ſtimulorum diligentiſſima vitatio.

Calor, qui humores rarefaciendo, et ſolida ſtimulando, ad plethoram faciendam confert, diligentiſſime cavendus, ubi diatheſis phlogiſtica tantopere invaleſcit.

Si

Si haec remedia morbum non tollant, magnum periculum eſt, ne in ſchirrum cancrumve deſinat. In utrolibet caſu periculum ſummum et inevitabile. In priore tamen talia remedia tentanda, qualia in obſtructiones glandularum aliquantum poſſe putantur, velut cicuta, mezereon, pilulae mercuriales, &c. In poſteriore aegrota moriatur neceſſe eſt. Nihil aliud igitur in manu noſtra eſt, quam dolorem miſeriamque aegrotae levare, vitamque prorogare conari; quod forſitan praeſtabunt, regimen frigidulum ſtricte adhitum, miſſiones ſanguinis modicae, opium, et omnium, quae ſigna poſſunt graviora reddere, diligens et accurata vitatio.

FINIS.